

Sacris Litteris præcedenti propositione abunde ostendimus; remque totam confecimus absque subsidio celeberrimi commatis, I Joan. V, 7: *Tres sunt qui testimonium dant in cælis, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt* (1), ut pateat, independentem omnino esse veritatem, quam propugnauimus, ab illa pericope. Potuissemus propterea tuto eam discutendam ac vindicandam dimittere Sacrarum Litterarum professoribus; ne tamen quis apud se reputet, difficultate nos deterritos fuisse ab hac discussione, eam lubentiori animo aggredimur, eo quod recentiores biblici ac rationalistæ fidenter pronunciant *causam finitam* esse, post Michaelis præsertim ac Griesbachii biblica molimina (2).

Duo igitur a nobis præstanda sunt: I) vindicanda veritas Joannæ pericopes. II) ostendenda ex ea, seu potius confirmanda doctrina catholica, quam in præsentia propugnauimus.

Ut autem primum illud præstemus, notandum est, nos cogi a via hactenus trita discedere post receptum seu proclamatum, ut loqui amant, in criticismo biblico *familiarum*, ut vocant, seu *recensionum* principium (3), ex quo statuitur canon seu lex: Codices

propositionis præcedentis, quæ cum prolixior sit, poterit pro oportunitate adhiberi.

(1) Versus autem 8, qui in pluribus codicibus præponitur versus 7, ut ostendit Sabatier in *Itala ant.* in hunc loc. ita se habet: *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua et sanguis; et hi tres in unum sunt.*

(2) En quomodo de hoc versu loquatur Cellérier in opere: *Essai d'une introduction critique au N. T. Genève, 1825, pag. 483*: On a beaucoup discuté sur l'authenticité du fameux passage des trois témoins célestes, I Jean, v, 7. Il ne vaut plus la peine maintenant de revenir sur ce sujet, qui est décidé depuis longtemps aux yeux de tous ceux qui croient à la critique et qui l'étudient. Je me contenterai de renvoyer ceux qui désireraient des détails, à Michaëlis, et surtout à Griesbach. *Atque in nota (1) inter cætera scribit*: Ce passage est démontré faux par toutes les règles de la critique et par toutes les conséquences qu'elle a pu tirer des faits recueillis à ce sujet. Cela est tellement clair que, si la critique trompe dans ce cas-ci, elle peut, elle doit tromper toujours; il faut alors de toute nécessité oublier les faits, jeter au feu les manuscrits, et abandonner la science, qui n'est plus qu'une chimère. Sed non minus audacter pronuntiat Wegscheider, op. cit. § 80: *Ad dictum illud, quod olim pro classico habuere, (I Joan. v, 7), jam minime licet provocare, quia spurium id esse argumentis et externis et internis satis validis demonstratum est; et in nota (a) hæc habet*: Vide, quæ post Millium, Wetstenium, Semlerum, De Matthæi aliosque scripsit Griesbachius de hoc loco accurate et prolixè, in editionis suæ N. T. appendice (*Diatrise in locum I Joan. v, 7*), quibus tota res videtur esse confecta. Cum hic auctor vocet ad Millium, æque ac ad ceteros, quis non putaret Millium locum memoratum rejicisse tanquam spurium? Attamen Millius eundem acriter propugnat. Sed rationalistæ scrupulis in mentiando non anguntur.

(3) Bengel omnium primus ex protestantibus vidit conformitatem, quæ in diversis codicibus circa variantes lectiones reperitur, et rededit *instrumenta* in duas classes, *Asiaticam* et *Africanam*, seu statuit principium criticum familiarum. Sed non nisi post publi-

seorsum sumpti testem non constituunt, sed ut *instrumenta* habendi sunt, ad fidem faciendam veritatis illius testis, seu autographi, quem repræsentant; et propterea, quod consequens est, non amplius numerandi codices, sed in classem redigendi (1).

Nos igitur admissio principio *familiarum*, etsi admodum adhuc incerto, atque in pluribus suis partibus nutante (2), duo statuiamus: primo quidem principium familiarum mirifice conferre ad *γενελογια* seu *genitatem* hujus versiculi constabiliendam, deinde hoc ipsum principium probabilioribus nobis suppeditare rationem omissionis, quæ in nonnullis familiis reperitur.

Et sane, constituto semel familiarum principio, illa familia ceteris præferri debet, quæ antiquitate, dignitate, auctoritate reliquis præstat. Talis enim vero est familia, ex qua versiculus controversus ad nos pervenit, seu quæ eundem nobis conservavit.

Ejusmodi est familia *Africana* (3). Antequam vero progrediamur, existentia hujus familiæ in tuto ponenda est, seu statuendum est *factum* existentie hujus familiæ, cujus testes locupletissimi sunt patres antiquissimi ejusdem ecclesiæ, Tertullianus (4), Cyprianus (5), Marcus Celedensis (6), S. Fulgentius (7),

citationem recensionum Griesbachii istud principium proclamatum fuit, et *tres* numerata familiæ. Hoc ipsum denique principium perfecerunt duo catholici, Hug, professor in Universit. Friburgensi, ejusque discipulus Scholz, Prof. in Universit. Bonnensi, qui *quatuor* familiarum existentiam annuntiarunt, ad quas *instrumenta*, ad hoc tempus cognita, retulerunt. Cfr. Cellérier, op. cit. sect. iv, *Histoire du texte*.

(1) Alii autem paulo aliter hunc canonem enunciant, nempe: *testimonia* in favorem cujusdam variantis non habent individua vim seu valorem independentem a recensione seu familia, ad quam illa spectant; et lectio quælibet defini debet, non a numero distinctarum auctoritatum, sed ex pondere seu auctoritate recensionis, quæ eas continet. *Lectionis* nomine designatur modus legendi, *variantes* vero *lectiones* vocantur parvæ illæ diversitates, quæ inveniuntur in editionibus, seu MSS. codicibus, vel patrum citationibus circa eundem textum ejusdem auctoris.

(2) Sane adhuc disputatur circa *númerum* familiarum, circa earam *originem*, *patriam*, *textum* uniuscujusque... Hinc Scholz in suo *N. T. græco*, vol. 1, in 4, Lips. 1830, non solum Griesbachio, sed etiam professori suo Hug contradicit, ut inferius videbimus. In *Bibl. univ. de Genève*, tom. xx, p. 112 legitur: *Ce système ingénieux a des parties très-faibles*.

(3) Familia, de qua hic disserimus, confundi non debet cum *Africanis* duabus, seu potius *Aegyptiacis*, quas admittit Scholz, quarum altera respondet familiæ *Alexandrinæ*, altera *Occidentali* Griesbachii.

(4) *Cont. Prax.* cap. 51.

(5) *Ep. ad Jubajan.* edit. Maur. Paris. 1726, Ep. lxxii, pag. 135, tum in lib. *De unit. Eccles.* p. 195 et 196.

(6) *Expositio fidei ad Cyrill.* inter opp. s. Hieron. edit. Vallarsii, tit. xii, cap. 5, circa finem habet: *Et hi tres unum sunt, una divinitas et potentia et regnum.* Cui addi debet ex Africa Marcus Victorinus in *Hymnis sacris* passim, sed præsertim hymno iii, in *Bibl. Patrum min.* Gallandi, tom. viii.

(7) Libro *De Trin. ad Felicem notarium*, cap. 4, tum in *Respons. contra Arian.* in resp. ad x object. circa finem, ubi etiam laudat textum S. Cypr. ex libro *De unit. Eccles.*, et in libro *Pro fide catholica ad*

Victor Vitensis (1), quadringenti illi episcopi, africani omnes, qui Carthagine Hunnerico fidei confessionem una cum Eugenio episcopo Carthaginiensi obtulerunt (2), et tandem Cerealis (3). Et exinde idem testimonium desumpserunt Maximus confessor, Eucherius, Phœbadius, Idacius Clarus, et alter Idacius alique non pauci. His nunc addendus codex ms. *Opèris*, quod inscribitur *Speculum*, et quod s. Augustini esse creditur, nuper repertus in bibliotheca Sessoriana; qui quidem codex antiquissimus est, atque, ut creditur, sæc VII, africanus pariter (4). Jam vero hi scriptores non solum ut auctores africani spectari debent, vel pertinentes ad africanam ecclesiam, prout hactenus factum est, sed tanquam repræsentantes recensionem Africanam, seu potius tanquam testes vocis ac textus magnæ criticæ familiæ, quæ in dubium revocari nequit, quæque a ceteris omnino distinguitur.

Hujus familiæ existentia ita constituta, videndum superest, quinam sit ejusdem valor, etiam comparative ad familias reliquas, asiaticas nempe, sive orientales, et occidentales, alexandrinam scilicet et constantinopolitanam. Quod ut assequamur, observandum est, textum africanum verum esse repræsentantem versionis originalis latinæ, quæ longe verosimilius primum in Africa facta est, antequam vel ipsa versio Itala prodiret, seu potius modificatio ejusdem latinæ versionis, quæ primum in Africa adornata est. Constat enim, tribus prioribus ecclesiæ sæculi familiarum fuisse in ecclesia Romana tum in universo fere imperio usum linguæ græcæ (5); nec sollicitos propterea Romanos fuisse de versione latina adornanda;

versus *Pintam*, num. 8, edit. Paris. 1684. Quod si auctor libri adversus *Pintam* diversus est a S. Fulgentio, ut pluribus criticis placet, novum habemus scriptorem africanum pro nostro textu.

(1) *De Trinit.* lib. i et lib. vii. Textum inferius dabimus.

(2) *De Persec. Vandolica*, lib. iii, pag. 54, edit. Ruinart, Paris. 1694. Ubi hæc leguntur: *Et ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis evangelicæ testimonio comprobatur. Ait namque: Tres sunt qui testimonium perhibent in celo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.*

(3) Ita quidem Bengel.

(4) Cfr. Cl. Wiseman, *Two letters on some controversy concerning I Joan. v, 7*, etc. Rome, 1835, ubi hunc codicem illustrat, et plura habet, quæ ad nostram familiam Africanam constabiliendam inseruiunt, et antiquam Italiam versionem novæ criticæ subiecit, pag. 1, 5 et seqq.

(5) Certe omnes vel fere omnes scriptores et patres, qui tribus prioribus sæculis floruerunt in ecclesia Romana, græce scripserunt; ut Clemens Roman., Hermas, Justinus, Modestus, Irenæus, Cajus, Asterius, Urbanus, Hippolytus Portuensis, Felix, I., etc. Omnes nunc critici consentiunt, s. Mareum græce Evangelium suum Romæ scripsisse; et ad Romanos græce scriptis Apostolos, græce Ignatius, græce scripta sunt supposititia Clementis opera. Hinc Romæ non solum honestiori loco nati omnes, sed quotquot aut mercaturam faciebant, aut stipendia ferebant, aut litteris imbuti erant, paucissimis forte exceptis, græce sciebant; Græci scientias Romæ profitebantur, græculos scitulos servos quilibet domi habebat, græca multa Romani suis libris, suis commentariis, suis domesticis tabulis

et priores patres græce scripsisse etiam in occidentali ecclesia. E contra vero in ecclesia africana nemo græce scripsit, sed omnes latine; hinc Tertullianus antiquissimus patrum latinorum est, quorum opera ad nos pervenerint; et eum proxime secuti sunt Cyprianus, Minucius Felix, Commodianus, Arnobius (1). Tertullianus vero, ipso fatente I. M. A. Scholz, *plerumque cum textu versionis alicujus antiquæ consentit* (2). Ergo ante Tertullianum jam existerat hæc antiqua Versio. Neque argumenta interna eaque validissima desunt, ex quibus conficitur, versionem latinam originariam ex Africa esse. Talia sunt archaismi et præterea, si ita loqui fas est, africanismi, quibus hæc versio scaturit quique non occurrunt nisi apud scriptores Afros (3). Eichhorn omnium primus suspicatus est, versionem latinam esse originariam ex Africa, sed mera conjectura ductus. Nunc vero post accuratum examen illud vix in dubium revocari posse videtur.

His præactis, sic iter nostrum insistimus: Versio latina prima et originaria Sacrarum Scripturarum ex Africa est, et ex Africa cum nonnullis modificationibus ad ceteras occidentales ecclesias pervenit, ac primum in Italia magno in usu fuit, et *Itala* propterea nuncupata (4). Patres atque scriptores africani, nec non codices nuper reperti, totidem sunt instrumenta ejusdem originariæ versionis latinæ, seu recensionis ac familiæ africanæ, quæ nobis exhibet typum primitivum, ex quo versio facta est. Cum vero exploratum sit, ex ecclesia Romana fidem, et una cum fide Scripturas in Africam pervenisse (5), consequens est, africanam recensionem illinebant; quare vel ipse Juvenalis testatur, *Satyr. vi*, v. 187 et seq. edit. Taur. 1830:

... Omnia græce,
Quum sit turpe nostris nescire latine.
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

(1) S. Hieronymus, *De Viris illustr.* cap. 55, inquit: *Tertullianus presbyter nunc demum primus post Victorem et Apollonium latinorum ponitur* (tom. ii, edit. Vallarsii).

(2) *Novum Testamentum græce*, vol. 1 Lips. 1830, *Proleg.* cap. 8, pag. 155.

(3) Cfr. Wiseman loc. cit. a pag. 50 ad 55; item a pag. 55 ad 67.

(4) S. Augustinus solus est ex antiquis, qui meminerit hujus *Italæ* versionis, lib. ii, *De doctr. Christi.* cap. 15, scribens: *In ipsis autem interpretationibus Itala ceteris præferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ.* Quod si quis contendat ob hæc Augustini verba, non solum recensione et modificationibus accidentalibus, sed etiam origine versionem Italiam diversam fuisse ab africana, per me licet. Idem enim semper recurrit argumentum; siquidem hæc versio latina primum Romæ facta esset, et ex ea africani accepissent. Millius versionem latinam non nisi sub s. Pio I, qui ab anno 142 ad annum circiter 150 æræ vulgaris Pontificatum tenuit, adornatam fuisse autumat, *Proleg.* pag. 41, edit. Oxon. 1707.

(5) Tertull. *De præscript.* cap. 56; August. in *Brevic. Carthagens. collation.*, tum in lib. *De unico Bapt.*; *Epist. Innoc. I ad Decentium, Episcop. Eugubini.* apud Coustant.

nobis representare typum primitivum Scripturæ græcæ, qualis nempe primum obtinuit in ecclesia Romana.

Versio latina, quæ ex dictis longe ante ipsum Tertullianum jam existeret, ad minus ascendit ad sæculum II, seu, quod idem est, recensio africana, ac proinde ejusdem typus primitivus anterior est omnibus aliis recensionibus, seu familiis orientalibus et occidentalibus, quæ in quocumque systemate biblicorum criticorum non perveniunt nisi ad sæculum IV, vel ad finem sæculi III, ac pertinet ad nobiliorem et primam ecclesiam, id est, ad ecclesiam Romanam. Hinc valor familiæ africanæ tum antiquitate tum dignitate familiis reliquis longe præstat, quorum instrumenta longe recentiora sunt. Sed hæc familia, hic typus continet ex dictis versiculum nostrum. Ergo tantum abest ut principium proclamationum familiarum imminuat veritatem seu authenticitatem nostræ pericopes, ut potius eandem mirifice confirmet.

Restat ut alteram nostræ assumptionis partem evincamus, probabilioris nempe ex eodem principio rationem erui omissionis, quæ reperitur in certis familiis. Quæcumque admittatur hypothesis circa originem trium vel quatuor familiarum, sive nempe Griesbachii, qui eas nominat ex regionibus, in quibus recensiones primum factæ perhibentur, Occidentalem scilicet, Alexandrinam et Constantinopolitanam (1); sive Hugii, qui eas ab auctoribus nuncupat, siquidem præter *κοινὴν ἑκδοσιν* seu vulgaram græcam, Hesychanam recenset, Lucianeam et Origenianam; sive Scholzii, qui quindecim primis ecclesiæ sæculis factam aliquam recensionem negat (2), semper demum deveniendum est ad primum aliquem typum, quem ejusmodi familiæ representant. Quid autem vetat supponere, hunc primitivum typum vel hæreticorum, ebionitarum præsertim et cerinthianorum, fraude vitiatum (3), vel casu omissionis ob duarum commatum septimi et octavi *ἐπιλογισμῶν*, id est similem terminationem, et, si ita loqui fas est, *ἐπιλογισμῶν*, seu simile initium; quo fit, ut oculos librorum facile effugiant, quemadmodum plura exempla nos docent (4)? Cui vero versiones,

(1) Cfr. Joan. Jac. Griesbachii *Comment. Critic. in lectum græcum N. T.* particula II, Jenæ 1811; *Meletemata de vetustis textus N. T. recensionibus* § 11, pag. 40 et seqq.

(2) Op. cit. cap. 4. *Proleg.* p. 25. et seqq., ubi recedit a principio, etiam a se alias posito, de recensionibus et de iv familiis: nam non nisi duas agnoscit, Constantinopolitanam puriorem, et Alexandrinam, in pluribus a grammaticis scdatam et interpolatam. Fatetur priores codices familiæ Constantinopolitanæ perisse, et interpolationem codicum primis duobus ecclesiæ sæculis contigisse.

(3) Cfr. Germonius *De veteribus hæreticis ecclesiastic. codic. corruptoribus*, Paris. 1715, par. 1, cap. 5 et seqq.

(4) Hujus rei plura exempla suppeditat De Rubéis in *Dissert. de tribus in celo testibus*, cap. 13, § 2. Nos hic unum vel alterum exemplum indicabimus: Martianæus, disserens de auctore *Prologi in Epist. canonicas*, observat in lib. Josue cap. 21 juxta vul-

ut antiquissimæ syriacæ et *peschito* (1), multo vero magis posteriores, ut altera syriaca philoxena, æthiopica et arabica, ex eodem corrupto fonte prodierint, patet, quæ de causa in iis comma istud desideretur.

Ceterum cum exploratum nunc ferme sit ex dictis versionem, quæ *itala* nuncupatur, eandem, ad substantiam quod spectat, fuisse cum vulgata antiqua, quæ origine africana est, etsi in nonnullis modificata, liquet hinc, quare et in plerisque codicibus latinis reperitur versiculum noster, in aliis vero desideretur (2). Codices scilicet exacti ad typum communem

gatam commatum divisionem verba illa: *Civitates quatuor cum suburbanis suis*, quæ leguntur vv. 55, 56 et 57, ansam tribuisse librariis ea prætermittendi. Sic Vallarsius, tom. x. operum S. Hier. partem alteram *Bibliothecæ divinæ* complectente, in nota ad v. 7, de quo agimus, hæc scribit: « in uno codice Veronensis canonicorum bibliothecæ majusculis, ut vocant, litteris maximam partem exarato, et, quod est alterum probæ vetustatis indicium, nulla capitum aut versuum partitione distincto, non cælestia, quæ tantopere urgentur, sed terrena testimonia, sive prius illa iscolon: *Tres sunt qui testimonium dant in terra*, etc., desiderantur. Puto autem hic novo argumento plenissime demonstrari, non nisi librarium festinationi ac tam sæpe obvio errori, ubi eadem recurrunt verba, tribuendum eorum quoque codicum defectum, in quibus cælestia... sunt prætermissa ». Cfr. ib. Exemplum item exhibet codex Cavensis monasterii, de quo infra, ubi v. 4 sic legitur: *Quoniam omne quod natum est ex Deo vincit mundum, fides nostra*, ubi omittuntur verba: *Et hæc est victoria quæ vincit mundum*, absque dubio ob homioteleuton, cum postremus versiculus desinat in verba *vincit mundum*. Bengel vero contendit omissionem versiculum 7. a veteribus data epera, nempe ob doctrinam *arcani*. Cfr. ejusdem *Apparatus criticus*, § 25 in hunc locum.

(1) Versio *Peschito* purior habetur. Cfr. *Biblia polyglotta Waltoniana*, necnon Cellérier, op. cit. sect. 8. § 1, *Versions syriacæ*. Circa versionem Armenicam res est dubia; vid. Bengel, loc. cit. § 22; in editione communi reperitur; in recentissima editione Veneta *Zohrabii* an. 1805. fuit omissus. Galbanus clericus regular. in opere *Conciliationis Ecclesiæ Armenicæ cum Romana*, Romæ 1650, tom. 1, profert acta Concilior. Aisensis et Adanensis lingua armena anno 1507 celebrata; jam vero commata 7 et 8 leguntur prolata in his actis pag. 461 et 478; his tamen conciliis plures interfuerunt schismati addicti, nec tamen ullus reclamavit adversus hæc prolata commata.

(2) Hörinc. a Bukentop, *De Vulg.* p. 507 scribit: « Versus ille septimus legitur tum in epistola dominicæ, in albis dictæ, tum in octavo responsorio in omnibus dominicis a festo ss. Trinitatis usque ad adventum; reperitur etiam in optimis quibusque ac vetustissimis vulgatae codicibus; ita ut paucissimi sint, in quibus deest. » Quod fassus est vel ipse Richardus Simon, qui gloriam inventionis eripuit protestantibus in rejiciendo hoc commate; nam in sua *Histoire critique du N. T.* Rotterdam 1699, part. II, chap. 9 scribit: « Pour ce qui est de l'auteur du *Correctorium* de la Sorbonne, il n'est pas surprenant qu'il l'ait lu dans son édition latine avec le passage dont il est question, puisqu'il ne peut avoir compilé son ouvrage que vers le dixième siècle. Or il est certain qu'en ce temps-là il y avait peu d'exemplaires latins du N. T. où la Préface (seu *Prologus* sub nomine S. Hieronymi) et ce passage ne se trouvaient, puisqu'on les y avait insérés dès le temps de Charlemagne ». His addi debent codices omnes, quos Cassiodorus sæc. vi diligentissime conquieserat, et

asiaticum, alexandrinum et constantinopolitanum hanc pericopen non continent, qui vero ad familiam africanam exacti sunt eandem retinuerunt; ratio ex his præterea redditur, quare s. Augustinus nonnullique alii patres latini de hoc commate sileant, etsi illud non ignoraverint (1), quia scilicet Augustinus, etsi afer, non africanam recensione, sed potius itala utebatur, quam secum in Africam ex Italia detulerat, ut patet ex ejus citationibus (2); quod a fortiori de ceteris dici debet. Contra vero in Hispania versiculus noster obtinuit, ut liquet ex codice Hispalensi, gothicis litteris exarato versionis hieronymianæ (3).

Si his addantur voces, ut vocant, individuales seu anomalæ, Mss. nempe codices, qui ad nullam de terminatam familiam pertinent, sive græci sive latini, deinde voces omnes, quas consuluit Cassiodorus in suis complexionibus consuecendis (4), ea, ad quas appellat antiquus auctor prologi sub nomine s. Hieronymi editi, (5), codices græci tandem, qui quidem *selectissimos*, ex quibus suas *Complexiones in Epistolas et Acta Apostolorum et Apocalypsim* confecit; sic vero in his legitur: « Cui rei testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis et spiritus, quæ in passione Domini leguntur impleta; in celo autem Pater et Filius et Spiritus Sanctus, et hi tres unus est Deus. » De his complexionibus cfr. præfat. Cl. marchionis Scipionis Maffei, p. 45, et pag. 124, 125 edit. Florent. 1721.

(1) Certe S. Hieronymus, *De viris illustr.* opera Tertulliani pluribus nota. Cypriani sole clariora dicit; quare omittit istorum operum catalogum. Legit igitur in horum operibus versus 7 citationem. Sic Cypriani librum *De unitate Ecclesiæ* citat Augustinus *Contra Cresconium*, lib. II, cap. 53, epistolamque ad Jubanum, imo ea verba, quæ allegatum illud, *quum tres unus sint*, et præcedunt et sequuntur, refutavit *De baptismo contra Donatistas*, lib. IV, cap. 4. Non potuerunt igitur laudati patres illud *tres unus* non videre. Cfr. Bengel, loc. cit. § 20, ubi ostendit s. Augustinum assuetum italicæ recensionis, in quæ v. 7 deerat, illum omisisse in suis disputationibus; cum tamen in africana legisset dubium hæsisse, et sane ad illum aperte alludit tum in lib. III, *Contra Maximinum*, cap. 22, ubi proponit allegoricam interpretationem v. 8, tum ad locum de spiritu et aqua et sanguine in epist. I. s. Joannis.

(2) Cfr. Wiseman epist. cit. p. 28 et seqq. Certe id liquet ex *Confess.* lib. III, cap. 5, edit. Maur. tom. 1, p. 91-7; item lib. IV, cap. 15, p. 118; lib. VI, cap. 4, p. 122, cap. 11, pag. 129; item lib. IX, cap. 4, p. 160 et seqq.; *Contra litteras Pelitiam*, lib. II, cap. 6, tom. VIII, p. 219, etc. Sed satis est percurrere per singula volumina indices locorum Sacræ Scripture.

(3) Cfr. Josephi Blanchinii *Vindiciae Canonicorum Script. vulgatæ latinæ* editionis vol. unicum in fol. Romæ 1740, pag. 205; vid. ibid. *Præfat. Christoph. Palomares in exemplar Gothicum*, pag. 49 et seqq.

(4) Nuper verba dedimus, quæ in Cassiodori complexionibus habentur.

(5) Auctor hujus prologi videtur vixisse ex communi eruditorum calculo sæculo VIII. Sic vero scribit: « Quæ si ut ab eis digestæ sunt, ita quoque ab interpretibus fidelibus in latinum eloquium vertentur, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese veritas impugnaret, illo præcipue loco, ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis epistola positum legitur. In qua etiam ab infidelibus translatoribus erratum esse, fidei veritate comperimus, trium tantum vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis et Spiritus, in sua editione ponentes, et Patris

adhuc supersunt, et eam pericopen retinent, ususque publicus ejusdem commatis vetustissimus utriusque ecclesiæ, lectio vulgata utriusque pariter ecclesiæ latinæ et græcæ, si addantur apertissimæ ad hunc textum allusiones antiquissimorum patrum utriusque ecclesiæ (1), evidenter colligitur tantum abesse, ut causa finita dici possit circa authenticitatem hujus commatis, prout rationalistæ plenis buccis crepant, ut contra nullum dubium supersit de ejusdem *ὑποκρίσει*, sola etiam critica biblica spectata. Dixi *sola etiam critica biblica spectata*, nam vera custos biblicorum non est critica, sed ecclesia Catholica.

Plura nunc addi possent ex argumentis internis ad ejusdem veritatis confirmationem; nos vero brevitate gratia potiora tantum attingimus; ac 1. quidem coherentiam hujus versus cum illis, quæ alibi scribit idem s. Joannes; ut cum Filium vocat *Verbum* (Joan. I, et Apoc. XIX, 13), cum refert testimonia Patris et ipsius Verbi incarnati (Joan. VIII, 18), et Spiritus Sancti (Ibid. XV, 26, et I, 25) 2. Necessitudinem seu relationem inter utrumque versiculum septimum et octavum, ut patet ex verbis in terra, quæ leguntur in v. 8, et dicunt necessariam relationem ad illa in celo, quæ habentur in v. 7 (2). 3. Dempto v. 7, nulla ratio amplius dari potest illius clausulæ v. 8: *Et hi tres unus sunt, seu, in unum sunt*, ut græce legitur, sive accipiantur de Spiritu Sancto, aqua et sanguine, sive de spiritu, quem Christus moriens emisit, et aqua et sanguine, quæ ex ejus latere effluerunt; contra bene coherent, supposito quod de tribus testibus cælestibus dixerit: *Et hi tres unus sunt*, id est, natura et essentia tres testes terreni suo modo pariter unus sunt, utpote ejusdem ponderis et momenti (3). Sane jam observaverat S. Gregorius Nazianzenus Joannem minus accommodate ad grammaticæ regulas dixisse, v. 8: *Tres qui testimonium dant; et hi tres unus sunt*, cum neutrum genus expostulasset voces græcæ spiritus, aqua et sanguis (4); instituta ergo comparatio cum personis v. 7 s. Joannem incitavit, ut vocum similitudinem in versu 8. retineret. 4. Hic versus necessariam præterea habet connexionem cum versibus 6, 9 et seqq.; quorsum enim spectant illa verba versus 9. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*, nisi ad testimonium Patris, Verbi et Spiritus Sancti, de quibus agitur in versu 7? In versu 6. duplex habetur testimonium, nempe Spi-

Verbique ac Spiritus testimonium omittentes; in quo maxime et fides catholica roboratur, et Patris et Filii ac Spiritus Sancti una divinitatis substantia comprobatur. Plures hic criticæ animadversiones instituendæ essent, quas brevitatis causa prætermittimus. Interea cfr. edit. Vallarsii opp. s. Hieron., tom. X, pag. 1057, in nota (a), tum ejusd. s. Doctoris opp. edit. Maur. tom. I, pag. 1670 et seqq.

(1) Cfr. Bengel, op. cit. § 25.

(2) Vid. Maran., *De divinitate J. C.* lib. 1, pag. 2, cap. 19, § 1 et seqq.

(3) Cfr. ibid. cap. 18, § 2 et 5.

(4) *Orat.* xxxvii, n. 47, tom. I, opp. edit. Paris. 1650; græcæ enim voces τὸ πνεῦμα, τὸ ὕδωρ, τὸ αἷμα neutrius generis sunt.

ritus Sancti et aquæ et sanguinis : *Hic est qui venit per aquam et sanguinem, J. C.; non in aqua solum, sed in aqua et sanguine; et Spiritus est qui testificatur, etc.*, ubi aperte distinguitur testimonium Spiritus Sancti a testimonio aquæ et sanguinis. Posito autem verso 7, qui explicationem habet testimonii Spiritus Sancti cum Patre et Verbo conjuncti, quemadmodum versus 8 explicationem continet testimonii aquæ et sanguinis, omnia plana sunt; versu autem 7 sublato, testimonium Spiritus Sancti vel penitus omittitur, vel confunditur cum testimonio aquæ et sanguinis, eum quibus Spiritus Sanctus unum dicitur, quod plane absurdum est. Si igitur in emendanda alicujus textus lectione lex illa a criticis statuta alte retinenda est, ut scilicet illa lectio retineatur, qua posita omnia coherens et omnia apte conveniunt, qua mutata omnia confusa et inextricabilia evadunt, nullum dubium subesse potest, præferendam lectionem esse in casu nostro, in qua versus 7 retinetur, ut omnia interna argumenta postulant (1).

Vindicata igitur, argumentis extrinsecis et intrin-

(1) Cfr. Maran. loc. cit. Etiam observandum est hiatum reperiri manifestissimum, si hæc verba tollantur; contra vero græco textui supplementum hiatu præbet versio, quam magni faciendam esse in his casibus eruditi critici norunt. Non enim alia ratione suppletur hiatu græci textus Matth. xvi, 2, 5; Luc. xxii, 43, 44; Joan. v, 3, 4; vii, 53; viii, 11; Act. viii, 37, quam per versionem latinam, atque interdem aliis in locis per collationem versionum reliquarum, quæ ubi textus mutat, magno semper adjuncto sunt textui emendando. Merito propterea nonnullorum reprehensionem incurrit Scholz, eo quod in opere, quod inscripsit *Biblich-Kritische Reise, etc.* seu *Iter Critico-biblicum in Gallias, Helvetiam, etc.* Lipsiæ et Sorav, 1825, exclusit e censu instrumentorum criticorum antiquas versiones. Cfr. *Bibliothèque univ. de Genève* 1825, tom. xxiv, art. *Critique sacrée* pag. 354 et seqq. Videtur tamen hic auctor aliquantisper attemperasse hoc suum placitum in editione Novi Testamenti. Cfr. *Proleg.* cap. 7, § 46 et seqq. Ceterum, pro nostra africana familia illud animadversione dignum est, eo fideliosem censendam esse, quod Tertullianus græce sciverit, et noverit græca apographa, ad quæ provocat, lib. *De Præscript.* cap. 36, illis verbis: *Percurre Ecclesias apostolicas, apud quas..... ipsæ authenticæ litteræ eorum recitantur, sonantes vocem, etc.* Hinc pro certo habendum Joanneum comma in ipsis eum vidisse; sane in lib. *De monogamia*, cap. xi, expressius adhuc provocat ad græcum textum, inquit: « Sciamus plane non sic esse in græco authentico, quomodo in usum exiit per duarum syllabarum aut callidam aut simplicem eversionem. » Ex quibus deprehendimus 1. eum manibus græca exemplaria trivisse; 2. discrepantias adnotasse inter textum et versionem latinam, quæ in usum exierat; 3. hanc versionem esse africanam, ut patet ex testimoniis adductis in hoc ipso capite, quæ tamen pervenerat etiam ad ecclesiam Romanam, quam hic vellicat Tertullianus. Hinc magis confirmatur sententia nostra, quod in authentico græco textu Tertulliani ætate reperiretur comma 7 ab ipso laudatum; demum jam a sæculo in non omnes authenticos textus editiones accuratissimas fuisse. Cfr. Rigaltius hic not. b, c; Scholz vero in *Proleg.* pag. 150, videtur confundere recensionem africanam cum recensione itala antiqua, quæ tamen ex dictis distingui debent, etsi una ob originem versio africana sit.

secis authenticitate Joannæ pericopes, alteram jam assumptionis partem probare oportet, qua statuimus hoc commate veritatem catholicam mirifice confirmari. Hoc autem, quamquam breviter, præstabitur directe et indirecte.

Directe quidem hinc confirmatur veritas catholica de ss. Trinitatis mysterio, si tres distinctæ in eo commate prædicentur personæ et earumdem unitas essentialis; res vero ita se habet; nam aperte s. Joannes de Patre, Verbo et Spiritu Sancto affirmat: *Tres sunt, qui testimonium dant.* Si itaque tres sunt, qui testimonium dant, seu, si tres sunt testes, ergo distinguuntur inter se; ergo Verbum et Spiritus s., qui conferuntur in testimonio dando cum Patre, non sunt duæ efficientiæ aut duo attributa, ut unitarii autumant. Rursum de his testibus dicitur: *Et hi tres unum sunt;* quæ verba, Clerico ipso fatente, eodem sensu posita sunt ac illa: *Ego et Pater unum sumus.* Jam vero his verbis, nemine dissentiente, Christus se distinxit a Patre; ergo et illa: *Et hi tres unum sunt,* distinctionem important. Item vero prædicari citatis verbis unitatem essentialis in divinis personis, patet ex eo, quod si una eademque non esset in Verbo et Spiritu Sancto essentialis ac natura, Filius et Spiritus Sanctus infinito intervallo distarent a Patre, nunquam propterea de iis, quæ inter se infinite distant, dici posset: *Unum sunt,* quemadmodum absque summe impietatis nota de Deo et duobus Angelis dici non posset: *Et hi tres unum sunt.* Patet igitur propositum.

Indirecte autem id ipsum evincitur ex agendi ratione unitariogum et rationalistarum; etenim, nisi vehementer percellerentur hoc testimonio, solliciti adeo non essent in ejusdem rejicienda authenticitate, nec totum studium suum et industriam huc conferrent, prout faciunt (1); ergo.

DIFFICULTATES.

I. Obj. Adversus priorem partem. 1. Argumentum deductum ex familia africana nititur gratuita hypothesisi; 2. nemo enim adhuc hanc novam recensionem agnovit. 3. Tertulliani auctoritas nimis dubia est, cum adhuc incertum sit, num citato loco, capite nempe XXV libri *Adversus Praxeam* alludat ad versus 7, an vero ad Christi verba: *Ego et Pater unum*

(1) Aliquando antitrinitarii se ab hoc dicto admittendo, inquit Bengel loc. cit. § 2, non abhorreere ostenderunt. Quamquam nonnulli hodie nimium sunt fastidiosi, et quo longius sese a tali oraculo remouent, eo sibi prudentiores videntur. Atque utinam nulli essent ex catholicis, in Germania præsertim, qui posthabito decreto concilii Tridentini de recipienda Scriptura, prout legitur in vulgata editione *cum omnibus suis partibus*, malunt protestantium vestigiis inhærere! Dolet profecto quod inter eos debeamus Scholz ipsum recensere, qui illud comma in suo II. volumine, quod non ita pridem edidit, græci N. T. omnino sustulit. Quod quidem erat expectandum a viro, qui a criticismo biblico antiquas versiones remouet, vel saltem parvi ponderis eas esse autumat. Hic auctor audaciorum ipsis protestantibus hac in parte se exhibuit.

sumus, ut patet ex sermonis contextu; subdit enim: *Quomodo dictum est: Ego et Pater unum sumus.* 4. Incertum est utrum s. Cyprianus, tum in epist. *Ad Jubajan.* tum in libro *De unitate Ecclesiæ*, allegoricam potius versus 8 expositionem, an vero 7 versum citaverit. 5. Cum vero posteriores scriptores africani summo honore Tertullianum et Cyprianum prosequerentur, hanc allusionem primo receperunt, deinde in novum textum converterunt. Ruit propterea totum fundamentum novæ istius africanæ recensionis seu familiæ; ergo.

Resp. ad 1. *Neg.* Attulimus enim documenta, seu ut vocant instrumenta certissima, quæ illius existentiam evincunt.

Ad 2. autem, seu 1. probat. *Tr.* Hic siquidem non agitur nisi de applicatione principii; cum igitur eadem elementa, quæ ad constituendas tres vel quatuor familias insinuat, primum a Bengel proclamatas, deinde a protestante Griesbachio, ac postea ad perfectionem adductas a Catholicis Hug et Scholz, concurrant ad familiam africanam constabiliendam, vel nuncios remittendus est principio familiarum, vel inter familias, velint nolint unitarii et rationalistæ, africana accenseri debet; quæ ceteris, ut dictum est, antiquitate, integritate ac dignitate antecellit, et qua ipsi penitus jugulantur (1).

Ad 3. *Neg.* Vetat enim, quominus admittamus adversariorum conjecturam, scopus Tertulliani, qui est ostendere unam trium personarum, ac præsertim Spiritus Sancti, cum personis reliquis substantiam esse; ad quod evincendum affert Joannis periocham, in qua dicitur: *Et hi tres unum sunt;* quæ nusquam alibi reperitur; et sanè hoc sensu intellexerunt scriptores subsequentes reliqui, qui iisdem

(1) Profecto, si, ipsis criticis biblicis fatentibus, præcipua alicujus familiæ instrumenta sunt Mss., versiones, Patrum citationes, editiones criticæ, loca parallela, variantium collectio, etc., cum hæc omnia concurrant ad familiam africanam constituendam nullo modo ejus existentia in dubium revocari potest. Etenim nos seriem habemus patrum africanorum, incipiendo a Tertulliano, qui vix 80 atq. 90 annis a morte S. Joannis floruit, usque ad sæculum X; habemus codices Mss. antiquissimos ejusdem ecclesiæ, ejusmodi esse vidimus codicem bibliothecæ Sessorianæ, seu S. Crucis in Hierusalem in Urbe, qui provenit ex bibliotheca Nonantulanæ. Porro in hoc codice hæc leguntur: *Item illic tres sunt, qui testimonium dicunt in celo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt* habemus et codices et patres, qui ex eadem familia hunc textum derivarunt in proprium suum usum; cujusmodi sunt omnes, qui ad eam familiam quidem stricte sumptam non spectant, sed eam tamen mirifice confirmant, ut patres hispani, galli, itali, et codices anomali et individuales latini, qui subsequenter temporibus periocham Joanneam habent, quorum, fatente etiam Rosenmüller, *major est pars*, id ipsum fatetur Griesbachius edit. cit. pag. 640, qui perperam ad eorundem elevandam auctoritatem urget variantis lectiones, quæ pariter occurrunt in omnibus pene verbis sui textus græci, ut ex ejus editione compertum sit. Insuper vero in notis ad v. 25 Epist. s. Judæ fatetur in nonnullis codicibus verba: *οὐτῆρι ἡμῶν Χριστῶ, τῷ κυρίῳ ἡμῶν*, deesse propter repetitum *ἡμῶν* seu homioteleuton; quare eadem ratio non militat pro versu 7?

pene Tertulliani verbis utuntur, et memorant periocham nostram (1). Neque obstat quod idem addat: *Quomodo dictum est: Ego et Pater unum sumus;* hæc enim verba non adduxit Tertullianus nisi ad majorem confirmationem, seu potius declarationem sensus formulæ adductæ, *Tres unum sunt,* cum hæc loca parallela sint, et textus evangelicus in persona prima sit positus, alter vero in persona tertia. Quare, ut observat Bengel, *quo brevior est Tertullianus in citando epistolæ dicto, eo notius tum celebriusque apophthegma ipsum fuisse ostendit* (2).

Ad 4. *Neg.* Satis enim est ad omne dubium tollendam conferre duo testimonia, in quibus s. Doctor commatis nostri mentionem facit. Porro primum desumitur ex epist. *Ad Jubajan.* ubi scribit: *Si templum Dei factus est, quæro cujus Dei? Si Creatoris, non potuit, quia in eum non credit. Si Christi, nec hujus fieri potuit templum, qui negat Deum Christum. Si Spiritus Sancti, cum tres unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, quia aut Filii aut Patris inimicus est* (3)? Alterum vero exstat in lib. *De unit. Ecclesiæ*, ubi ait: *Dicit Dominus: Ego et Pater unum sumus. Et iterum de Patre et Filio et Spiritu Sancto scriptum est: Et hi tres unum sunt. Et quisquam credit hanc unitatem, de divina firmitate venientem, sacramentis caelestibus coherentem, scindi in Ecclesia posse et voluntatum collidentium divortio separari* (4)? Quis porro hæc legens, animo anticipatis judiciis vacuo, aperte non videat hic a s. Cypriano adduci versus 7, nec ab ipso fieri a longe petitam allusionem ad versus 8? Cum præterea dicat: *Divina firmitate, Sacramentis caelestibus,* nonne digito monstrat verba Joannis: *Tres sunt qui testimonium dant in caelis,* et illa: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* (5)?

(1) Ad eundem textum refertur locus insignis ejusdem Tertulliani in lib. *De pudicitia*, cap. 21, scribens: « Nam et Ecclesia proprie et principaliter ipse est Spiritus, in quo est Trinitas unius divinitatis, Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Illam Ecclesiam congregat, quam Dominus in tribus posuit. Atque ita exinde etiam numerus omnis, qui in hanc fidem conspiraverint, Ecclesia ab auctore et consecratore censetur. » Vid. edit. Rigaltii, p. 574. Sic s. Cyprianus in utroque textu a nobis adducto aperte alludit ad locum Tertulliani, quem magistrum suum appellabat, teste Hieronymo in Catalogo, et patet etiam ex unione duorum testimoniorum Joan. x et i Joan. v. 7. Quod si Tertullianus loc. cit. locum parallelum allegat ex Joan. x, 30, non ad confirmandum, sed ad interpretandum illud *tres unum sunt* eum adducit. Ceterum observat Scholz, *Proleg.* pag. 155, Tertullianum negligentius ex memoria contractim ad sensum hanc sine mutatione textus citare.

(2) Loc. cit. § 11. Cfr. etiam de hac Tertulliani citatione Millius. *Proleg. ad N. T. Græc.* pag. lx, edit. Oxonii 1707. Integer vero Tertulliani textus ita se habet: « Ceterum, de meo sumet, inquit, sicut ipse de Patris. Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficiunt coherentes, alterum ex altero, qui tres unum sint, non unus; quomodo dictum est, ego et Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem » (edit. Pamelii et B. Rhenani, Basileæ 1562).

(3) Epist. lxxiii. edit. Maur. Paris. 1726, p. 155.

(4) Pag. 195, 196, ejusd. edit.

(5) Notat autem Millius, *Proleg.* loc. cit., mysticam

Ad 5. *Neg.* assertionem, et nego præterea quod supponitur, Tertullianum nempe et Cyprianum alluisse ad Joan. X, ut patet ex modo dictis. Non minori profecto erga Tertullianum, et s. Cyprianum præsertim, reverentia afficiebantur patres Itali et galli, quam africani; nulla igitur est ratio, cur dicantur Tertullianus et S. Cyprianus majorem influxum exercuisse super scriptores africanos quam super ceteros, qui tamen eam clausulam non citarunt, eo quod nempe uterentur recensione citata, prout ea usus est Augustinus, qui propterea nec ipse apophthegma Joannis laudavit (1). Si igitur illud citarunt scriptores africani, unica ratio est, quod isti recensione africana uterentur; et exinde magis confirmatur sententia nostra, ac ruit adversariorum conjectura et conclusio.

II. Obj. 1. Si in familia africana Joannis periocha reperitur qui factum est, ut in recensione itala non reperiretur, cum tamen ex dictis eadem esset utrius-

expositionem de tribus terrenis *aqua, spiritu et sanguine*, quibus ex mente veterum significata est Trinitas personarum, non obtinuisse in ecclesia tempore Tertulliani, imo ne auditum quidem fuisse de ea quidquam ante annum Christi 428, quo nempe libros suos contra Maximinum edidit Augustinus. Eadem repetit in prolixa nota, quam attexit cap. 5, epist. 1. Joan. p. 745; ubi, cum retulisset textum S. Fulgentii ex *Responsione contra Arianos*, sub finem, qui ita se habet: « B. Joannes Apostolus testatur, dicens: Tres sunt qui testimonium perhibent in caelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et tres unum sunt. Quod etiam beatissimus martyr Cyprianus, in epistola De unitate Ecclesiae confitetur, dicens, etc. » subdit: *Lexis plane momenti esse quod ex Facundo notatur, Cyprianum scilicet hæc ex versu octavo allegasse. Unde factum enim ut B. Martyris mentem melius novit Facundus qui 500 post Cyprianum annis floruit, quam Fulgentius, qui Cypriano aliquanto propior? Unde etiam constat ætate Cypriani quemquam Aquam, Spiritum et Sanguinem mystico sensu accepisse pro personis Trinitatis? Certe sicut apud grecos, qui versum 7. non legerant, nusquam occurrit explicatio illa mystica, ita nec Latinorum quisquam, ut opinor, per annos a Cypriano plus 100 spiritalis hujus sensus mentionem facit. Sed leg. auctor ipse, loc. cit. et rursus in Proleg. pag. 97, col. 1. Attamen Griesbachius non veretur ad hæc confugere.*

(1) Quod si quis contendat opus, quod sub *Speculi* nomine præfert codex Sessorianus seu Nonantulanus, esse *Speculum* genuinum s. Doctoris, ut nonnulla suadere videntur, quod diversum est a duobus aliis operibus, sub eodem titulo vulgatis a Maurinis, in appendice ad tomum vi opp. s. Doctoris (de quibus cfr. editorum admonitiones eisdem præfixæ); tunc dicendus s. Augustinus in ordinariis suis operibus usus recensione itala, e qua versus 7. exciderat; cum vero *Speculum* rogatu Possidii scripserit, adhibuisse recensione africanam, in qua hoc comma habebatur. Hoc vero eo verisimilius videtur, quod ipse Griesbachius fateatur ipsum Origenem modo Marci codicem occidentalem, modo alexandrinam recensione in usum adscivisse, imo Origenem non semper unum tantum eundemque Novi Testamenti codicem usurpasse. Cfr. ejus *Comment. critic. in textum grec. part. II*, pag. 50-57. Quidni igitur idem potuerit præstare Augustinus? Quod spectat ad Facundum Hermianensem, qui versum 7. omittit, observandum est eum magnam vitæ suæ partem Constantinopoli transgisse, ideoque africanam recensione minime adhibuisse.

que recensione seu familiæ versio originalis? 2. Quot fieri potuit, ut ab omnibus codicibus grecis reliquisque familiis exularet? 3. Nonne absurdum est supponere primum typum, quem familiæ asiaticæ et occidentales representant, corruptum fuisse, nec unquam patres seu codicum emendatores, qui recensuerunt codices in utraque ecclesia, ejusmodi corruptionem subodoratos fuisse? neque Lucianum, neque Hesy-chium, neque Origenem, neque Hieronymum? Ergo.

Resp. Ad 1. Quia vel casu vel hæreticorum fraude excidit, ut dictum est, cum sermo esset de primitivo reliquarum familiarum typo (1).

Ad 2. *Neg.* suppositum, deesse scilicet vel defuisse illam periocham in omnibus grecis exemplaribus. Contrarium evincunt omnes voces anomale, seu codices Mss., qui ad nullam familiam determinatam pertinent, neque pauci sunt, quos Scholz recenset (2).

Ad 3. *Neg.* Cum de facto evidentia historica constet, quod spectat ad reddendam rationem silentii aliorum documentorum, satis est ut ratio probabilis assignetur. Ea porro, quam assignavimus, quum et exemplis et documentis firmetur, non est quod ulterius inquiremus, cum ea abunde ad rem nostram sufficiat. Ex horum porro qui nobis objiciuntur censu s. Hieronymus eximendus est, qui v. 7. continet, ut patet ex ejus Bibliotheca divina edit. Vallarsii et ex codice gothico quem supra attulimus. Progressu temporis alia fortasse invenientur (3).

(1) Cfr. Millius loc. cit. pag. 747, qui propterea observat vix potuisse tota illa persecutionis periodo codicibus recensendis operam impendi.

(2) Cfr. op. cit. Proleg. cap. 6. Satis hic sit commemorare codicem cyprium, quem ad nullam ex cognitis familiis pertinere post accuratum examen Scholz ipse pronunciavit, sed ad summum tum ex familia alexandrina, tum ex constantinopolitana coalescere existimat. Cfr. ejusdem *Cura critica in historiam textus*, etc. Heidelberg 1826, diss. 2. Vid. *Bibliothèque universelle de Genève*, tom. xx, pag. 409 et seqq. 1822.

(3) Placet hic in medium adducere verba Bengel, qui loc. cit. § 28, scribit: « Græca antiqua hujus dicti documenta, si ab iis, quæ § 25 ægre corrogavimus, discesseris, nulla adhuc cernimus; sed non vanum est præaugurium, fore ut plura aliquando exoriantur, Historia lectionis *ζωής*, Heb. II, 9, sive lectio placet cuiquam, sive displicet, huc pulchre quadrat. Citat eam Hieronymus; sed Hieronymi editor, Erasmus, eam annotationibus suis ad N. T. non inseruit; deinde mentio ejus apud grecos Patres est eruta, nunc demum etiam grecus accedit codex, et accedent fortasse complures. Quid vetat, similes in dicto Joanne sperare suppetias, præsertim cum grecos Patres, latino interpreti propiores, hoc dicto caruisse nondum constet? » Ut aliud exemplum proferamus, notum est Clericum ejusque symmistas non paucos ex recentioribus biblicis criticis protestantibus, Semlerum, Morum, Hænstenium, Bretschneiderum, etc., qui Scripturam, ut libet, truncant, rejiciunt, tollunt, everunt, admittunt pro summo jure, quo gaudent, rejecta nempe ecclesie auctoritate, historiam mulieris adulteræ, quæ legitur Joan. VIII, 1 et seqq. rejecisse, argumentis, ut clamabant, extrinsecis ductos. Nunc vero eadem ab ipsis criticis biblicis admittitur ob nova documenta, inter quæ satis sit recensere *codicem cyprium*, de quo superius verba fecimus, qui

III. Obj. Saltem nulla est ratio, quæ ex argumentis intrinsecis adducitur. Hæc enim potissimum nititur 1. connexionione ac relatione duorum commatum, ac præcise illorum verborum in terra; jam vero nemo est, qui nesciat et hæc verba excludi a familiis codicum; quo fit ut in recentioribus N. T. greci editionibus, intra parenthesis includantur verba omnia, quæ habentur post tres sunt qui testimonium dant, versu 8, usque ad alia: *Spiritus, etc.*, ita ut legi debeat integer textus hoc modo: *Tres sunt, qui testimonium dant, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum vel in unum sunt*, prout concordet legunt versiones æthiopia (1). 2. Nititur verbis illis: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*; ast, si bene perpendantur, hæc non dicunt relationem nisi ad ea, quæ habentur in versu 6: *Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas*; vel ut in aliis lectionibus habetur: *Et Spiritus est veritas* (2); vel etiam si placet, relationem dicunt ad versum 8, ubi nomine *Spiritus Sanctus*, prout veteres non pauci intellexerunt, designatur. Quæ cum præcipua sint argumenta interna, reliqua per se cadunt; ergo.

Resp. *Neg. antec.* Quæ enim attulimus, integram omnino periocham exposcunt. Ad 1. itaque argumentum quod spectat, fatemur ab audaculis criticis recentioribus privata auctoritate intra parenthesis laudata verba constringi; quoniam autem jure id ipsi præstant, ignoramus (3). Ceterum Bengel codices affert, in quibus deest versus 7, et qui tamen exhibent voces illas in terra; affert alios, in quibus verba in caelo et in terra desunt, etsi habeant duo com-

totam hanc pericopem continet. Id ipsum dicatur de historia probatica piscinæ, Joan. v. 4, quem versum adulterinum esse suspicatus est Millius, *Proleg.* § 455, atque fortassis ex hebraeorum evangelio translatum, et turba criticorum, quæ eundem secuta est; attamen nunc admittitur hic versus ut genuinus, et eum exhibet idem codex. Cfr. *Biblioth. univers. de Genève*, loc. cit. pag. 118. Id ipsum de pluribus aliis locis dicatur, vel plane rejectis, vel in dubium revocatis, prout est ex gr. Marci xvi, 9 et seqq. et aliis, quæ brevitate causa prætermittimus; quæque omnia expungi debent, juxta istorum criticam, ut plures reipsa illa expungunt.

(1) Cfr. *Polyglotta* Waltoni.

(2) Ibid. Versio tamen æthiopia eundem sensum refert ac vulgata latina. Waltonus in variantibus Novi Testamenti citat cod. 9, in quibus legitur *Christus*. Cfr. tom. IV. Sabatier ad hunc locum alios citat.

(3) Sed neque in hoc critici protestantes habent meritum inventionis, siquidem Richard Simon in sua *Histoire critique du Nouveau Testament*, part. II, chap. 9, pag. 110, edit. Rotterdam 1690, id ipsum jam innuerat, ubi conquiretur de eo, quod Robertus Stephanus in sua editione posuerit semicirculum post verba *et τὸ ὄψωψ*, cum juxta ipsum ponere debuisset immediate ante verba *et τὸ ὄψωψ*. Quam audaciam miratur ipse Millius. Griesbachius in sua editione græca Novi Testamenti, ceteris audacior, omnino verba illa suppressit, qui deinde initio diatribæ suæ tanquam ex tripode pronunciat: *Quæ unci inclusimus (ex integro textu eidem præmisso) spuria sunt, idæque e sacro contextu eliminanda. Quanta securitate!*

mata integra, illis vocibus exceptis (1). Plures sunt codices a quibus exulant voces ex octavo versu: *Et hi tres unum*, vel *in unum sunt*. Millius censet voces in terra ab emendatoribus codicum, a quibus testes caelestes absunt, fuisse sublatas utpote superfluas (2). Si sibi propterea constare vellent critici hi biblici, deberent vel utrumque versum, 7. nempe et 8, eradere, vel utrumque retinere, prout jacet.

Ad 2. *Neg.* In hypothesi enim adversariorum sensus mutilus prorsus oriretur et truncus; cum enim versu 6. meminisset aquæ et sanguinis et spiritus, Apostolus Joannes consecrasset integrum versiculum 8. testimonio aquæ, sanguinis et spiritus, et nihil addidisset de Spiritu Sancto, et pari tamen ratione concluderet: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*, imo sese extendens circa hoc Dei testimonium, dum addit: *Quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo*; bene quidem, admissio versu 8; at hoc sublato, vix hæc coherere possunt. Multo minus admittendum est alterum effugium de *Spiritu Sancto* in versu 7; nam hæc non est nisi paucorum codicum lectio, exclusa a censu familiarum. Si his præterea addantur, quæ adduximus in probationibus, patebit, quam vere dixerit ipse Bengel: *Adamantina versiculorum coherentia omnem codicum penuriam compensat* (3).

(1) In recensione variantium ad versus 7 et 8. Latini enim aliqui codices, etsi pericope hac carentes apud Erasmum, Hentenium, Lucam Brugensem, Dorscheum, voces tamen in terra habent. Legerunt has easdem voces Facundus Hermian. in lib. 1 *Defensionis trium capitulorum*, c. 5, pag. 7, edit. Sirmundi, ubi versum 8 bis profert: *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, etc.*; et rursus: *Tres sunt qui testificantur in terra; Spiritus, etc.*, et Beda in *Comment.* in hunc locum: *Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, etc.*; neuter tamen in suo exemplari habebat versum 7. Voculas item in caelo et in terra non videtur legisse auctor *Prologi in ep. canonicas*. Cod. Schehornianus non habet voces in terra, habet tamen in caelo. Plures codices carent vocibus *et hi tres unum sunt*, plures legunt in nobis sunt, vel etiam unum sunt in Christo Jesu, etc. Cfr. etiam Sabatier in hunc locum.

(2) Loc. cit. Cfr. etiam Maran. loc. cit.

(3) Loc. cit. § 28. Ex dictis etiam patet pessima agendi ratio Joan. Georgii Rosenmüller, qui ad hunc locum mala omnino fide refert argumenta contra *γνησιότητα* seu genuinitatem hujus commatis, dum tradit hunc versiculum primo græce prolatum fuisse in græca translatione Actorum Concilii Lateranensis, quod anno 1215 celebratum est; codices latinos ante sæc. X exaratos plane eum non habere; a paribus latinis non citari, ubi vel maxime ad rem pertineret, atque omnino expectari posset; Vigilium Tapsensem primum videri, qui exeunte sæculo v. clare ad testes caelestes provocavit, etsi tamen non conveniat ejus allegatio cum textu nostro, nec in verbis, nec in sensu, etc. In quibus omnibus tot pene sunt mendacia quot verba. Etenim 1. Concilium Lateranense loquitur de pericope Joannæa tanquam de re omnibus tunc temporis explorata; ait etenim: « Quenadmodum in canonica Joannis epistola legitur: Quia tres sunt qui testimonium dant, etc. statimque subjungit: Et tres sunt, qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua et sanguis, et hi tres unum sunt, sicut in codicibus quibusdam invenitur; quæ postrema verba referuntur, ut patet, ad postremam